Funebris Laudatio

SERENISSIMI SIGISMVNDI III. POLONIÆ REGIS,

MAGNI DVCIS LITHVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆQ.

NECNON

SVEC: GOTT: VANDQ: HÆRED: REGIS.

AB ILL^MO ET RND^MO IN CHRISTO P.

D. STANISLAO LVBIENSKI, EPISCOPO PLOCENSI,

Scripta.

C R A C O V I Æ,

In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.
Anno Dñi, M. DC. XXXIII.

Ludovico Cyprowicz a Gr... [illegible]



Laudatio Funebris
SERENISSIMI
SIGISMVNDI III.
POLONIARVM ET SVECIÆ REGIS, &c.

IN theatro lugubris mæſtitiæ, & acerbiſſimi doloris poſitũ, intuemur Sereniſſimum & Inuictiſſimũ Principem SIGISMVNDVM III. Poloniarum & Suecorum Regem: ille Europæ, Aſiæ, & Africæ, in potentiſſimo Turcarũ Imperatore, quẽ non minùs fortiter quàm feliciter à ceruicibus noſtris repulit, victor: ille latè patẽtis Moſchouię, expugnato Smolẽſco, Vrbe Regiâ, ac tãti Regni, quod Europæ ingẽtes receſſus ſuâ iuriſdictione complectitur, Principe Suiſcio, vnà cum duobus fratribus capto, triumphator magnificus: ille immaniſſimæ omnium quæ ſub Sole extant Tartaricæ nationis terror: ille omnium hoſtium domitor: illa pietas, illa Religio, illa iuſtitia, ille humani generis amor & delitiæ: ille, qui quadraginta quatuor & ampliùs annorũ feliciſſimi imperij ſucceſſu, id conſecutus eſt, vt Rex ſui temporis Regum dici & haberi mereretur: ille qui Auguſtis domus Auſtriacæ connubijs, vniuerſi Chriſtiani orbis Reges & Principes, illuſtrium affinitatum nexibus,

 ſibi de-

ſibi deuinxerat: ille Regiæ ſobolis ad ſalutem Reipubl: Chriſtianæ natæ felix Pater: ille inquam SIGISMVNDVS, qui & originis nobilitate, & Regnorũ quibus præfuit felicitate, & imperij diuturnitate, omnes ſui temporis Reges longè ſuperauit, eſſe deſijt; & ſe vixiſſe, hoc ſupremi exitûs ſui triſti ſpectaculo, teſtatur. Lachrymiſnè eius mortem decorare, an memoriâ Heroicarum Magni Regis virtutũ animos à mærore & triſtitiâ auocare conuenit, Vobis, qui præſentes adeſtis, diſpiciendum relinquo. Illas quidem poſcit Domus Regia, tanto orbata parẽte: poſcit inprimis Sereniſſimus Princeps VLADISLAVS SIGISMVNDVS noſter Electus, & Suecorum Gottorumq; Hæreditarius REX; poſcunt omnium Ordinum & Statuum Regni Poloniæ, & Mag: Duc: Lith: quos atratos & frequẽtes videmus, inclyti Senatores, Equites, & Proceres: poſcit deniq; hæc funebris pompa, ad excitandum dolorem compoſita: cæterùm hæc omnia ad vnius alteriuſuè diei, vt rerum humanarum conditio fert, decurſum duratura, linquamus alijs. Deflebũt SIGISMVNDVM, quos naturæ lex, lachrymas fundere iubet: deflebit vniuerſa Reſpubl: noſtra, quam diu nominis Polonici exſtabit memoria: deflebimus nos, qui eius beneficijs creuimus, honoribuſq; ab eo aucti ac ornati conſpicimur. Fundemus non ſtipendiarias, nec triſti cohortatione extortas lachrymas; ſpontè illæ fluent, maioremq; in pectoribus, animiſq; noſtris cõtineri dolorem quàm palàm oſtendunt teſtabuntur. Sed nos interim ad alia Orationem noſtram conuertamus,

ingenſ-

ingenſq; & magnum pelagus virtutum, huius qui quondam Magnus Rex, nunc exangue cadauer cernitur, ingreſſi, in earum admiratione aliquantiſper immoremur. Neq; ſanè quiſquam exiſtimet temerè vel audacter me hoc munus ſuſcepiſſe: non temerè, nã hæc Prouincia nutu Tuo Sereniſſime REX VLADISLAE, ad me delata eſt: non audacter nimis, nam propè quadraginta annorum obſequio, plus pleriſq; experimenti capere potui quod ad præſentẽ vſum ſeruiat. Scio ego Regias virtutes, ſub vulgarem cẽſoriæ notæ æſtimationem cadere non poſſe. Sublimius & maius iudicium illæ ſibi depoſcunt: de quibus cùm multi multa dixerint, ſcripſerintq;, ego potiſſimùm eas deligam, ex quibus Regiam SIGISMVNDI Coronam compactam fuiſſe, vel ipſa inuidia fateatur neceſſe eſt. Audeamus igitur aliquid plus genio & ingenio noſtro, ordiamurq; magis verâ, quàm ornatâ, oratione ſuſceptum exequi munus.

Chriſtiani & Catholici Regis virtutes recenſenti, viro Eccleſiaſtico, maximè conuenit, vt dicendi initium ſumat à Pietate, à religione, à conſtanti augẽdi & promouendi cultûs Diuini ſtudio. Hæc enim omnium virtutum eſſe prima, & præcipua fundamenta, impius ſit, qui negauerit: ſuper hanc baſim feliciter aſſurgunt parietes cunctarum perfectiſſimarum actionum, cùm nihil ritè, nihilq; prouidẽter homines, ſine Dei immortalis ope, conſilio, honore, auſpicari poſſint. *Plinius in Panegir.* Niſi fortè quiſpiam, vt ſunt hominum ingenia, obſtrepere voluerit, & cæteras quidem virtutes æmulandas Principi non negauerit;

pieta-

pietatem religionemq; priuatorum hominum occupationem esse contenderit. Talem talesq; ego, si modo tanta impietas vllibi receptum habeat, extra orbis Solisq; vias reiecerim, & indignos iudicauerim qui communi aurâ, communibusq; vitæ subsidijs, perfruantur. Regius vates Spiritu Sancto afflatus, cùm sciret plerosq; Reges vel efferri superbiâ, vt homines se esse vix meminisse velint; vel certè, quæ summa impietas est, pietatis studia cæteris actionibus postponere; vel accendi iracundiâ, vt ad crudelitatem exercendam prono ferantur impetu; ab hac amentiâ auertere eos conatur. *Et nunc*, inquit, *Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de viâ iustâ.* Intelligite, vos pari cum cæteris esse conditione, naturâ mortales, necessitate & lege fati mox morituros. Erudimini, nam etiamsi terræ sitis Iudices, etiamsi ius ex æquo & bono dicatis, etiamsi viam iustam tenere videamini: nisi tamen disciplinam non terrenâ: sed cælestem apprehenderitis; nisi Domino cum timore seruieritis; nisi trementes laudes eius decantaueritis, & nomen sanctissimum, Maiestatem illam omni maiestate maiorem, exaltaueritis; ex hac ipsâ viâ, quæ vobis iusta videtur, ita decidetis, vt vos perijsse serò quidem, sed seriò, sitis dolituri. Cæteræ virtutes, (inquit Valerius Maximus) admirationis tãtummodò multùm, pietas verò etiam amoris meretur plurimùm. Ad hanc Serenissimum Regem nostrum, non factũ, sed natum vidimus; hanc ex ipsis maternis traxit visceribus, hanc suxit ex vberibus.

Meritò S. Gregorius, vel ipse potiùs Spiritus Sanctus, dum stupendum illud inuictæ patientiæ exemplar, Iobum, in terrâ Hus, quæ erat erroribus impijs infecta, natum refert, id illius laudi & præconio adscribit; quod vir pius, inter impios conuersatus, pietatis tramitem non deseruerit: esse enim bonum inter malos, plus est, quàm si inter optimos optimus appareres. Non obfuit SIGISMVNDO, imò profuit, nasci in Regno Hæretico, & eo Patre qui ad suum arbitrium religionis causam reuocabat: blandimentis, quæ iuuenilem animum facilè commoueret vrgebat Pater, sibi gratum fore, si filius suæ sententiæ, vel opinioni potiùs erroneæ, accederet; sed & minæ, & ipsa penè vis admota, stabile pectus loco mouere non potuerunt, seu vera seu ficta Senatûs Suetici denunciatio, *cariturum Regno, nisi nouæ religioni nomen daret*, id extorsit, vt ceruicem potiùs se daturum, quàm religionem Catholicam deserturum profiteretur. Hæc admodum iuuenis, inter Hæreticos Magistros, ac eorum & Patris imperio obnoxius, iam Matre sanctissimâ fœminâ orbatus, illius tamen monitorum memor, dixit fecitq; prudenter, constanter, religiosè. Tantis initijs totus deinceps vitæ decursus, optimè respondit. Ita semper vixit SIGISMVNDVS, vt eius pietatem Summi Ecclesiæ Præsides laudarent, Reges Christiani admirarentur, Ciues amarent, hostes pertimescerent: ipse inter maxima positus pericula, eâ vbiq; tutus parata vitæ discrimina inauditâ felicitate euitârit, superâritque. Dum

Dum Christi religio, dum Ecclesia Catholica, dum sincera Euangelicæ veritatis professio durabit; quæ tamen omnia ad supremum totius vniuersi exitum duratura, Christus ipse spopondit: extabunt in Poloniâ & Lithuaniâ, nobilissima monumenta SIGISMVNDI Regis, pietatis, magnificentiæ, liberalitatis, Templa Basilico opere structa. Aræ, Altaria, Diuorum Statuæ, auro & argento fusæ, testabũtur SIGISMVNDVM Regem, neq; erga Deum pietate, nec erga Sanctos Dei veneratione, cuiquam etiam maximorum & sanctissimorum Regum concedere voluisse. Loquetur & sponte agnoscet Polonia, quæ illo Regnum auspicante magnam Senatûs partem, vt inferiorum Ordinum homines silentio prætereã, diuersis infectã hæresibus vidit, se propè vniuersam cum amplissimis Prouincijs suis, ad veteris Orthodoxæ & Catholicæ Romanæ religionis normam, paternâ & piâ tanti Regis curâ, traductam. Neq; ille ad id efficiendum vllâ vi opus habuit: sola ipsius pietas, sola erga Deum religio, erga Sedem Apostolicam obseruantia, mentis puritas, corporis castitas, vnumquemq; commouere poterat, ad obseruandũ, magniq; æstimandum, tantum Principem, eiusque præstantissimas virtutes æmulandas: itaque pij regiminis dulcedine, adeò mox cunctorum hominum animos pellexit, vt ad sui exemplum penè totam composuerit Poloniam. Multa hac de re dici possent, multa adferri, quæ fortasse Catholicis viris grata essent; aduersariorum verò aures minùs iucundo sono ferirent: sed ille, qui dum vixit, pietatis suæ actus

actus Deo soli notos esse voluit, ne nunc quidem, vt in publicum proferantur velle admittere credẽdus est. Ad alia igitur transeamus: videamus vt cæteræ Regiæ virtutes, semper quidem pietati coniunctæ, & in eâ fundatæ, in illo enituerint. Iustitia inprimis, quam omnium virtutũ Reginam meritò viri Sapientes existimârunt. Agesilaus quidem Rex, cùm ab eo quæreretur, vtra virtus esset præstantior: Fortitudo an Iustitia? Grauiter respondit: Fortitudinis nullum esse vsum, nisi adsit Iustitia: quod si omnes essent iusti, fortitudini locum non superfuturum. Quàm latè ea virtus pateat, & ad omnes publicas priuatasque actiones sese diffundat, nemini obscurum esse arbitror: hæc honores dignis; hæc præmia meritis; hæc coronas immortalis gloriæ, largitur fortibus; hæc bella definit; hæc pacem moderatur; hæc Principem intra præscriptos regiminis cancellos, hæc subditos in officio, socios in fide cõtinet; hæc sontes punit, innocentes absoluit, excindit latrocinia, regna conseruat, Principes & Reges cælo inserit. Romanos, olim rerum Dominos, nihil magis nobilitauit quàm iustitia: eam autem non Ciuibus tantùm, amicis & socijs, sed hostibus quoq; suis semper seruandam esse censuerunt; eâ domi forisq;, pacis belliq; tempore, constanter eminere cõtenderunt. Mirari sanè licet tanti virtutem in illâ Vrbe æstimatam, vt ei latere non liceret, ab aratro & ligone euocabantur viri fortes: ijs summa imperia, ijs Dictaturæ deferebantur; amplissimi & clarissimi victoribus, triumphi decernebantur. Veteranis & c-

nis & emeritis militibus, ea quæ ad ſenectutem cum honore traducendã neceſſaria erant, publico ſumptu abundè ſuppeditabantur: ijs qui in acie, pro patriâ vitã profudiſſent, honores, laudes, Statuæ, monumenta æterna deferebantur, ponebantur, conſecrabantur. Ac vt omnibus conſtaret, nonniſi per virtutem honores haberi poſſe; honori ac virtuti tẽplum dicârunt, interiecto tantũ diuiſum pariete, ita vt in Honoris templum, nullum eſſet oſtium, nullus niſi per virtutis templum, in illud aditus: virtus enim cauſa honoris eſt, honor effectus virtutis: illa meritum, hic præmium: illa radix, hic fructuoſiſſimæ radicis fructus: ſine virtute, nullus verus ſolidus ac diuturnus honos eſſe poteſt; & qui honore priuat virtutem, is homines priuat virtute, vt Cato dicere ſolebat. Quid ego hoc loco de SIGISMVNDI Regis iuſtiſſimi iuſtitia dicam? Percurramnè omnes eius Imperij annos, & tempora? Non me eò demittam, vt cuncta rimer & perueſtigem. Vos pleriq; teſtes eſtis, illum nunquam in mandandis Magiſtratibus, in decernendis honoribus, ita à ſcopo & ſuæ intentionis & Reipubl: dignitatis aberrâſſe, vt eum hunc vel illum promouiſſe, vix vnquam pœniteret: magno & acri iudicio expendens & merita & onera, non facilè explicabat, quid decreturus, quẽ muneri publico admoturus eſſet: ita pleriſq; cunctantior viſus, & qui interdum deſideria ambientium, longâ expectatione, ſuſpenſa torqueret. Vix tamen accidit, vt præter communem opinionem, quenquam vel dignitate ornaret, vel præmio afficeret. Sciebat enim

nim optimè, quantum publicæ ſalutis & ſuæ dignitatis intereſſet, dignos Magiſtratibus præficere. *Eſt* *Eccleſ: 10.*
malum (inquit Spiritus S.) *quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem gradiens, à facie Principis: poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum.* Antiochus Syriæ Rex, *Polyb: lib: 3.*
Medicum conſilij ſui præſidem fecerat. Ludouicus XI. Gallorum Rex, ſutori ſuo Fetialis ac Internuncij; Tonſori Legati; Medico Magni Cancellarij partes detulerat: ea res ita commouerat Galliæ Nobilitatem, vt parum abfuerit, quin Rex Regno excideret. *Bodinus lib: 6.* Nihil tale vnquã admiſit noſter SIGISMVNDVS, ab omni eiuſmodi ſorde alienus, fauebat quidem virtuti, fauebat induſtriæ, & vt olim Hannibal: *Qui hoſtem feriet, ille mihi Carthaginenſis erit:* ſic optimũ & digniſſimũ Ciuẽ eũ exiſtimabat, qui & in Sago, & in Togâ, vtilẽ Patriæ nauaret operam. Altera illa pars iuſtitię, quæ lites diſcernit; quæ noxios punit; quę publicã quietem tuetur; quæ Ciues inter ſe mutua connectit charitate & cõcordia: quæ bella indicit; quæ fœdera ſancit: maiori quidem ex parte non eſt, nec fuit in poteſtate Regum noſtrorum. Sic priſca inſtituta Maiorum, ſic leges voluerunt, ne Rex priuato arbitrio arma ſumeret: ne inconſultis Ordinibus noua fœdera feriret: ne in Ciuis Poloni caput, exiſtimationem, & bona, abſolutâ poteſtate quidquam decernẽdi ius haberet. Quæ res fortaſſis ad frenandam libidinem Regum facta, in SIGISMVNDO certè locum non habuit, cuius mite Imperium ac legibus libertatibuſq; Regni accommodatum, extra ſuſpicionem fuit, vel maioris authoritatis, vel liberioris poteſtatis vſurpandæ. Ille quidem, quantum ea res

 ad cen-

ad censuram eius pertinuit, quantum conando efficere potuit, & in proprijs Iudicijs, quæ Regiæ Iurisdictionis esse dicuntur, nunquam à tramite Iustitiæ se dimoueri passus est; & vt ij qui Regio nomine Ius dicunt, quàm optimi iustissimiq; , ac iuris cæteris peritiores legerentur, omni studio elaborauit. Dicã id quod sentio, bona venia aliorum dictum tamẽ sit, interfui & præfui Iudicijs Supremis, & in Aula Regiâ, cùm Vicecancellarij munus obirem, & in ijs Tribunalibus in quibus ex Equestri Ordine lecti Iudices ius dicunt: hæc quidẽ non possum nisi laudare probareq; ; vtpotè, quæ veram Idæã repræsentant, sinceræ & non contaminatæ libertatis, neque ampliùs latus existimationis meæ, quod ab inuidia temerè petatur, patefaciam, nisi vt hoc fatear, Regia Iudicia & in Comitijs Regni, & in Aulicã, vt vocant Iurisdictione, quæ Fisci, ac Ciuitatum Iuri Magdeburgensi subiectarum, causis continetur, casta, pura, & integra esse. Ita voluit SIGISMVNDVS REX, iustitiæ amantissimus & studiosissimus, ita ad recti Iudicij normam sese accommodauerunt ij, quos ille lateri suo assidere, quos summæ rei præesse, quibus existimationis suæ summam committere voluit. Sed quid ille iniustitiæ admitteret, qui priuatas suas actiones ad Iustitiæ, æquitatisq; regulam semper componebat: qui simulatione & inani ostentatione comparere, indignum sua existimatione putauit: qui semper id egit, vt qualis haberi vellet talis esset. Nescio, (inquit Sanctus Hieronymus) quomodo turpiora sunt vitia, cùm virtutum specie colorantur. *Si dissimulauerit, delinquit dupliciter*; ait Spiritus Sanctus. Simulata enim æquitas, teste S. Augustino, non est æquitas, sed duplex iniquitas; quia iniquitas etiam est simulatio. Sinceræ, & ad regulam virtutis Regis nostri examinatæ actiones, cæterorum qui tũ cùm maximè fallunt, id agunt, vt viri boni esse videantur simulationes, damnant & sceleris Hipocritici conuincunt. Hic candor, & non fictæ mentis sinceritas, præclarissimas qualq; Regis nostri actiones, heroicos ac diuinos pro Republica conatus, secundo semper euentu prosperabat: & quamuis primis eius initijs, parum propitium fortuna vultum ostendere solita fuerit, vix tamen vnquam aliquid maius aggresso, felix defuit successus. Admirationem summam excitabat, in animis gentium, & magnorum Principum, cõstanter semper culta, à SIGISMVNDO fides, quã non modo Ciuibus, sed hostibus suis semper religiosè seruauit: pacta & promissa rescindere, fidem datam immutare; semel alicui destinatum honorem, vel beneficium ad alterum transferre; æquè insolitum illi fuit ac iurisiurandi Sacramentum irritare. Audiebat Isocratem prudenter Regem Nicoclem admonentem: Omni studio contende, vt tuis verbis maior sit fides, quàm aliorum iuramẽtis. Animo reuoluebat Sacram Dei ipsius vocẽ apud Zachariam vatem: *Vnusquisq; malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendacij ne diligatis; omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus.* Meminerat quàm acerbas, iustas tamẽ pœnas subierit Domus & Familia Regia Saulis, ob violatum ab eo datũ populis

Hieron: Epist: ad Cal.

Eccl: c. 22.

Zach: 8.

pulis Gabaonitarum, per Iosue Ducem Hebræorũ, iusiurandum ob ademptum agrum, occupataq; cõtra datam fidem Oppida, ob cædem per Saulem factam, Septem ipsius nepotes Regius sanguis, patibulo publicè affixi, pependerunt; & per summam immanium cruciatuum acerbitatem, non suâ sed Maiorum suorum culpâ contractum scelus, & sacrilegium, expiârunt. Viderint cæteri Principes, ludere iuramentis assueti, quid vel ipsis, vel eorum posteritati immineat, quibus pœnis teneantur, quibus tormentis aliquando tandem, impia expiaturi sunt sacrilegia, etiamsi nunc exultare videantur in scelere; etiamsi perfidiæ suæ palam iactent stratagemata; etiamsi prospero successu ferantur, & per summum nefas occupent aliena Imperia, sanguinem Christianũ atrociter fundant; sacratas Deo Aras, Templa, adituſq; Sacrorum sacrilego incæstent ausu, eaq; omnia impunè se perpetrare glorientur: vna veniet dies, vna hora, vel potiùs minimum labentis tẽporis momentum, cùm hæc omnia inanis gloriolæ & impiæ iactantiæ falsa ornamenta, istis Trasonibus, sanguine Christiano saginatis, triste & supremum adferẽt exitium. Illinè qui nunquam Christiani nominis hostem in acie viderunt? qui pedem domo, nisi ad infestandas Christianas Prouincias, ad accipienda occupandaq; Regna non extulerunt? qui quotidie impias societates, impia fœdera, cum Turcis, cum Barbaris feriunt, vt eorum rabiem in Christianos accẽdant, suamq; tam turpi subsidio Tyrannidem stabiliant? Illinè, inquam, quidquam veræ laudis, veri decoris

sibi, etiamsi integra laudatorum ad adulationẽ compositorum agmina aduocẽt, vsurpabunt? Sed nos ad nostra redeamus, atq; ab Iustitiâ ad Clementiam transitum faciamus. De quâ vt aliquid dicerẽ, cùm multa præclara eius virtutis specimina, quæ in omnibus SIGISMVNDI actionibus enituerint, tum vel maximè vna eiusdẽ Regis vox me impulit. Nam cùm errore quorundam, Regis Imperium fastidientium, ad arma ventum esset, acieſq; eunti Regi, sub nomine eorum qui tum libertatis patronos se ferebant, structa & armata opponeretur: acri, sed breui prælio res confecta fuit, paucis cæsis, reliquis aduersarijs in fugam actis. Suadebant nonnulli è fuga retrahendos eos, qui Principes eius erroris erant: Sed Rex, absit hoc inquit, ne dum paucos noxios consectamur, innocentes multi pereant. Digna sanè vox quam omnes Reges, omnes Principes audirẽt; quæ in pectoribus eorum, qui cæteris præsunt, figeretur. Vox pietatis, vox clementiæ, vox mansuetudinis. Nemo eorum, qui in aduersâ acie steterant, erat, cui non hostilis esset in Regem animus, cuius non parricidij rea mens, qui non primus hastam aut gladium Regio sanguine tingere cuperet: omnes tamen Regio ore, parricidij scelere exoluti, omnes pronũciati innocentes; non quia nocere noluissent, sed quia non potuissent. Certabatur adhuc, & bellum feruebat, fugiebant hostes, mox bellum renouaturi: sed SIGISMVNDVS & iniuriæ, & periculi immemor, memor clementiæ, sisti acies iubet, militem ne Ciuem feriat, ne capita aduersariorũ præcidat, seueris cohibet

cohibet iuſſis. Commemorare poſſem multa alia, eodem temporis momento, Regię clementiæ argumenta, eos qui peſſimè erant de Rege locuti, qui ſcriptis eius nomen lacerârũt, qui ante ipſum conflictũ in pectore Regio ſe defixuros haſtas promiſerant, captos, & in poteſtatem Regis redactos, non ſolùm honeſtè habitos, verùmetiam ſtatim dimiſſos; omnium quicunq; in acie ceciderant humata corpora: his qui aut vulnera acceperãt, aut veſtibus ſpoliati erãt, nihil defuit; nã & Medici præſtò erant, & Rege authore, milites paſſim detractis ſibi veſtimentis, neceſſitati ſpoliatorum ſubueniebant. Dies quidem illa, quâ pugna commiſſa eſt, funeſta bonis omnibus, triſtis admodum ipſi etiam victori SIGISMVNDO eſſe poterat: ſed ad immortalitatis gloriam, ad famã inauditæ clementiæ eidem conciliandam, maximè accommodata. Vicit SIGISMVNDVS, non armis ſed clementiâ; remiſit iniurias, omnem animi offenſam depoſuit, cunctos ad gratiæ ſuæ ſinum admiſit, duobus non poſtremæ notæ, qui diſſenſionis illius Ciuilis, veluti quidam litui erant, non ſolum erroris veniam dedit, verùmetiam alterum ex ijs, ſummis excoluit honoribus, alterum ſi ſuperuixiſſet, ſi non vitæ ſumma breuis ſpes ipſius præcidiſſet, non minoribus honoribus, & dignitatibus aucturus, ornaturuſque. Tanta quidem huius virtutis laus eſt, vt Romanæ Eloquẽtiæ Parens meritò dixerit: Homines ad Deos nullâ aliâ re propiùs accedere, quàm ſalutẽ hominibus dando. Quam multos SIGISMVNDVS REX ſuâ clementiâ flexit, vt cùm priùs Regijs actionibus & deſtinatis obſiſterent, mox mutato animo, eidem adhæſerint, præclaroſq; ipſius pro Republ: conatus, ſtudio operâq; ſuâ adiuuerint. Verecundiam enim (inquit Seneca) facit ipſa clemẽtia regentis. Vtq; frequentia eorum, qui ſub curâ & manu Medici ſalutẽ quærunt, funera Medico dedecori ſunt: ſic Principi quotidiana odia ſubditorũ. Sacra quidem Scriptura, Regis thronum clementiâ & miſericordiâ roborari: veriſſimè aſſerit. Et Seneca errare eum dicit, qui exiſtimat tutum ibi eſſe Regem, vbi nihil à Rege tutũ eſt: ſecuritas, ſecuritate mutuâ, paciſcenda eſt. Vnum eſt, inquit, idemq; inexpugnabile munimẽtum, amor Ciuium. Quid pulchriùs quàm viuere optantibus cũctis, & vota non ſub cuſtode, ſed palàm nuncupantibus? Optimè Agaſides Lacedæmoniorum Rex, cuidã quærenti, quomodo tutò ſiue ſatellitibus regnare poſſet, reſpondit: Si ita popularibus imperet; vt liberis Pater. Quod ſi clementia Ciuibus grata eſt, quid ſi eadẽ conſpiciatur hoſti præſtita, quantam admirationem in animis hominum excitat? Suiſcius qui ſummam rerum in Moſchouiâ tenuit, captus, & ex dignitate perſonæ vnà cum fratribus honorificè habitus, cùm fato diem extremũ obijſſet; vita functus nõ ſepulchro, ſed Mauſoleo à SIGISMVNDO victore, victo hoſti magnificè erecto, illatus, & ad perpetuam clementiæ memoriam condecoratus eſt. Non attingam cæteras virtutes, nõ quod exiſtimem eas Regio decori non conuenire: ſed quia ita in omnibus SIGISMVNDI actionibus fulsẽre, vt vel inimicorum perſtringerent oculos. In maximis quibuſq; periculis, in ipſo vitæ diſcrimine, nullus vnquam eum vidit ita commotum, vt ſerenitatis vultum

immutaret, vt non ab animi præstãti magnitudine cõ-
silium sumendum censeret. Monitus in prælio Guzo-
uiensi, vt perturbatâ dextrę partis exercitus acie, ad le-
uã quæ immota stabat, signũ Regium transferret, Du-
cibus idem suadentibus: constanter vultu renident, ne
ad vnum quidem palmum terræ, loco quem ceperat se
mouere voluit. Ad Lincopiam in Sueciâ, arte Caroli
circumuentus, & à Suecis desertus, cum paucis qui fidẽ
seruauerant, Regemq; & Polonos, pro Rege mori pa-
ratos, & vitæ discrimen, non multitudine hostium, sed
virtute suâ metiẽtes, nõ deseruerant, vrgente Carolo,
pugnæ copiã fecit, atq; in primâ acie, quę tormentorũ
ictibus petebatur, stetit interritus; multitudinẽq; hosti-
um & impetũ longe maioris exercitûs, virtute sua su-
stinuit. Nec illud silentio transmittere possumus, cùm
SIGISMVNDVS sub alterũ ex Sueciâ discessum Calma-
rien: portum peteret, viq; ventorum nauis, quæ Regẽ
vehebat, in breuia adacta & inuersa fatisceret, pericu-
lumq; esset, ne compagibus solutis mergeretur; cimba
vna superfuit, qua Rex ad littus euadere & saluti suæ
consulere posset: quam cùm esset conscensurus, & ali-
quot vel timidiores vel audaciores in eãdem se demit-
terent, vnusq; ex ijs quibus Regiæ salutis cura deman-
data fuit, strictis armis ab excensu eos arcere vellet;
Desine, inquit Rex, & vnũquẽq; saluti suæ, quam qui-
uis tanti æstimat, quanti & ego & vos meam æstimatis,
consulere. Quid memorem alia? Magni quidẽ momẽ-
ti negotia semel aggressus, nũquam deseruit, metu vel
terrore denunciati etiam periculi: sententiam nunquã
mutauit; obstinatior alijs visus, sed virtutes eius expen-
dentibus, fuit semper constans & inuictus. Quidni ta-
lis esset?

lis esset? qui non solum hostium, sed quod præstantius
meritò habetur, sui ipsius semper victor extitit. Legi-
mus, magnos Reges, & summos Imperatores, expugna-
tis victisq; hostibus, per summũ dedecus, libidini & in-
temperãtiæ succubuisse. Dauid Rex, nisi adulterio do-
mum alienam polluisset, sine vlla exceptione ipsius Dei
ore laudari potuerat. Ad Ticinum, ad Thrasimenum,
ad Cannas, Hãnibal toties Romanorum victor; Capu-
anis mollioribus hybernis, concidit. Alexandrum Ma-
gnum, post deuictum orbem propè vniuersum, Baby-
lonicæ illecebræ occiderunt. Eandẽ ob causam amissa
Regna, euersa Imperia, excisas Vrbes, nulla ætas fuit
quæ nõ viderit; nulla natio quæ tristi experimento nõ
senserit. Sed non sensit, regnante SIGISMVNDO, Polo-
nia: purus castusque, & ab omni illecebra inconcessæ
voluptatis alienus, etiam iuuenis vixit: iuuenis inquam
ætate & formâ pręstantissimus, natu longè maioribus,
puritatis castitatisq; exẽplo, præiuit: virgineus in Regio
vultu nitor, in sermone verecũdia, in omni actione in-
genuus pudor, Ciuibus externisq; eum admirãdum &
venerandum exhibebãt. Faciliùs crescit quàm inchoa-
tur virtus. Summum fuit in SIGISMVNDO prima nascẽ-
tis ætatis crepundia castitati consecrâsse, eo iacto fun-
damento, cætera creuerunt, & felicissimè adhæserũt:
casto castissima obtigerunt matrimonia: rara ea pro-
speritas, & rarò visa. Pudet paulò ante præteriti tem-
poris; viderũt certè Patres nostri ab Augustâ Domo,
duas Reginas huc deductas infeliciter nupsisse. Vidi-
mus nos eadẽ Familiâ ortas, Imperatorij sanguinis du-
as Heroides, pias, pudicas, optimas, sanctissimas, quæ
non modò dum viuerent, admirationem quandã in a-
nimis

nimis noſtris excitârunt, ſed etiã tantâ relictâ prole, iã vitâ functæ, ſuâ fœcũditate, ne ampliùs dicã, vt meliùs ſperare in poſterũ poſſimus effecerunt. Optimus Maritus SIGISMVNDVS: optimæ priori Vxori, par ſucceſſit ſecunda: eadẽ vtriq; virtus, eadẽ fœcunditas; idẽ erga Maritum amor, eadẽ obſeruantia: ex vtrâq; Vxore ſuſcepti Liberi, ita educati formatiq;, vt eodẽ vtero editi videantur. Grandis hæc felicitas, & vix aliquãdo audita, è duobus Matrimonijs natos ita còáluiſſe, & ad cõmune decus promouendum cõſpirâſſe; nullum æmulationis, nullum ambitûs, niſi qui Fratri natu maiori ad Regnũ aditũ patefaceret, veſtigium. Quatuor Fratres ſummo & ipſi loco, digni Regis Filij, in frequẽtiſſimo Ordinum conſeſſu, in publico Electionis Conuentu, Fratris cauſam egerunt, orârunt, impetrâruntque. Tãtam concordiam, tantumq; ad cõmune bonum cõſenſum, vix vnquam vlla vidit ætas. Fateamur neceſſe eſt, bono Reipub: natos; nec grauem eſſe nobis hanc prolem, quæ licet numeroſior videatur, quadam tamẽ ſinceræ concordiæ vnitate ita còáluit, vt omnes quales olim Geriones in Hiſpaniâ fuiſſe non temerè antiquitas finxit, vnâ animâ viuere exiſtimari poſſint. Horum virtuti quid vnquam arduum aut difficilè eſſe poterit? His Regna, his ampliſſima debentur Imperia: illorum patrocinio, illorum tutelæ aliquando orbis vniuerſus, partã deuictis Barbaris ſalutem acceptam feret, & veluti mõſtrorum domitoribus, honores æternùm mãſuros decernet. Sed nos paulò altiùs euecti vela cõtrahamus, & ad noſtrũ redeamus SIGISMVNDVM, quẽ diuinitùs Reipubl: noſtræ datum, ſi quis & conditionem illorum temporum, & Interregni, quod Diui Stephani

Regis

Regis mortem ſubſecutum eſt, turbulentiſſimũ ſtatũ, animo diligentiùs expẽderit, facilè agnoſcet. Vt cætera ſilentio prætereã, in ipſis Electionis noui Regis Comitijs, binæ acies infeſtæ ſibi; altera viribus ferocior, & externo milite ad opprimendã patriã conducto armata; altera causâ melior, in cãpo ſteterunt: ſummũ periculum erat, ne orbata tutore & Rege Patria, Ciuilibus armis diſcerperetur: aliquoties inſtructis exercitibus, iã iam congreſſuros, ſecreta quædam fati vis, à mutuo exitio coërcuit. Candidati Regni vacantis, ex præcipuis Orbis Chriſtiani familijs comparebant; creſcebat in dies ambitus, ingentes commoditates & vtilitates, ijs qui Regnum ſibi deferri petebant promittẽtibus; pleriſq; etiam, heu dedecus patriæ! quâ ſpe, quâ præmijs allectis, operã ſuam ad perniciem patriæ externis Principibus pollicentibus. Leuiori manu SIGISMVNDI cauſa primò agebatur; & Legati eius, nã ita Pater mandauerat, materna potiùs iura repetebãt, Electionis prærogatiuâ cæteris cedere, aut ſaltẽ non multũ obniti videbãtur: nullo fructu, & nulla propè ſpe felicioris ſucceſſûs, cõſilia tractabantur: vis & arma in Comitio valebant; homines pacis & concordiæ cupidi, prodire in publicum, vel nõ poterant, vel nõ audebant. Nõ deerant quidem nõnulli, qui in SIGISMVNDVM propẽderent: Regina Anna eius Matertera, non obſcurè illi ſuffragabatur: Domûs Iagellonicæ propè vltimus ſurculus, Diui SIGISMVNDI Primi nepos, Regis AVGVSTI Sorore natus, in ore omnium erat. Sed reputantibus alijs, quantum ille opis & auxilij, contra potentiſſimos cõpetitores, quos bello & armis qualecunq; ius ſuum vrſuros apparebat, eſſet allaturus; metus quidem obuerſabatur oculis, ne ſi

iuue-

iuuenē, adhuc nullis maioribus fultū viribus, Regē dicerent, aduersariorū potentiæ succumberent. Magnus ille Ioannis Zamoiscij, Magni Cancellarij, & Exercituū Regni Supremi ducis animus, & mens tantæ molis capax, rebus fluctuātibus ac penè perditis remediū attulit. Nāq; is suis, quas in vsum Reipubl: parauerat, aduersariorūq; viribus ac copijs expēsis animaduertit, minimâ popularitatis & communis fauoris accessione, ijs qui externis freti auxilijs minabâtur, vim intentabant, se si nō superiorē, certè parē futurū; eorūq; audaciā & temeritatē facilè repulsurū; inito cū Stanislao Karnkouio Archiep: Gnesnen: Regni Primate, cū quo cęteri Episcopi, vno aut altero excepto, idē sentiebāt, & cæteris Senatoribus, quibus temerarij aduersariorū ausus displicebant, consilio; ex omniū sententia ab Archiep: Gnesnensi, quē inter præsidia sua, ne vi armatâ ab instituto prohiberetur, receperat, more institutoq; Maiorū, SIGISMVNDVM REGEM renunciandū curat. Audito SIGISMVNDI nomine, noua quædā lux affulgere visa; pauere aduersarij; assurgere animis ij, qui bonarū partium erāt; vniuersa expers factionū Nobilitas, suffragiū huic vni deferre. Videres nuper insessos milite cāpos, vexillis pacis & trāquillioris spei impleri; omnes nomē SIGISMVNDI occinere, omnes eius auspicijs insigniri. Itū est Cracouiā, & hæc Vrbs in quâ Reges Poloniæ auspicatò Imperia ordiri solent, iustis munita præsidijs. Viueres etiā nūc Zamosci, fatereris profectò, id quod sæpiùs testatus es, te in omnibus concertationibus, in omnibus prælijs SIGISMVNDI REGIS fortunâ fretū, pro Patriâ caput tuum omnibus obiecisse periculis. Nondū illum videras, cùm Germanicas legiones Cracouiæ

immi-

imminentes cecidisti, reliquos in fugam egisti, Vrbem Regiam obsidione soluisti, SIGISMVNDO deinde Cracouiam ingresso, & feliciter coronato, tu iterum cum exercitu profectus, Archiducem Maximilianum, Imperatoris Romanorum Filium, Imperatoris Fratrem, in finibus Silesiæ vires reparantem, & iam præter Germanos & Polonos, Hispanicis ac Hungaricis copijs auctum, supremumq; exitium Patriæ minitantē, ad Byczynam assecutus, acri quidem & difficili, sed felici tamen commisso prælio, vicisti, debellâsti. Archiducem ipsum, cum præcipuis quibusq;, magni nominis viris, deditione in SIGISMVNDI potestatem redegisti. Longum esset recensere omnia: per occasionem attingam nonnulla. Quantæ molis erat eo tempore Regnum Poloniæ capessere, quæ domi forisq; imminebant pericula, animus ipse meminisse horret. Vniuersum Regnum in diuersas scissum factiones, iuuenili (nam SIGISMVNDVS cùm REX legeretur vigesimum primum ætatis annum agebat) consilio restaurari, & tam dissentientes voluntates Ciuium ad concordiam reduci posse, quis crederet? Iuuenis, vt dixi, erat SIGISMVNDVS, mores & instituta nostra nōdum nouerat; multorum consilijs, dum sibi quisq; studet, distrahebatur: sed inerat animo illius plus quàm humana prudentia, Rege Magno digna modestia, virginei pudoris decor, religio, pietas, Deo inprimis, tum & hominibus amabilem illum reddebant, omnibus eius actionibus, felices ac prosperos conciliabant successus. Itaq; intra vnius anni decursum, & cum Serenissimâ Domo Austriacâ, cū summâ Regis & Regni dignitate

tate trãſactum, dimiſſoq́; Archiduce Maximiliano, pax conſtituta, amicitia etiã perpetuò duratura ſancita, & ijs qui ad Auſtriacos fauorem in Electione flexerant, venia erroris, Regis clementia, ac publico Comitiorum Regni decreto, data. Sic concordiâ, ſine quâ Regna eſſe & ſtare non poſſunt, ſtabilito firmatoq́; Imperio, eam de ſe excitauit SIGISMVNDVS opinionẽ, vt ipſis initijs feliciſſimos Regiminis ſponderet ſucceſſus. Fruſtra minis, & bellico apparatu, terrere eum voluerat Turcarum Imperator Amurates III. Nam per Tartaros bellum orſus, mox expertus eſt, non cedere animo SIGISMVNDVM, ſed paratum eſſe, vel in ipſius hoſtis ditionibus, quærere hoſtem. Ceſſauit illa procella, & cæteri vicini ad pacis ſtudia animos flexerunt; pactæ cum Moſcho induciæ; firmata cum Turca pax: Suecia deniq́; morte Ioannis Regis Patris iure ipſo naturæ & ſucceſſionis beneficio acceſſerat Imperio SIGISMVNDI: ritè inſtitutoq́; maiorum Regni illius paterni & hæreditarij habenas capeſſiuerat, iuſiurandum à Suecis ſeruãdæ fidei acceperat, pari Sacramento ſe eiſdem obſtrinxerat. Felix erat Suecia tali Rege, tali pace: ſed ambitio & Regni cupiditas corrupit omnia. Carolus, Regis Patruus, per eius abſentiam, primò leui manu attrectare cæpit clauum Regni: mox totum ad ſe traxit Imperium, per ſummam impietatem abdicato Nepote. Hinc bella in Liuoniâ, quam Carolus inuaſerat, orta; & per aliquot annos ſatis à noſtris feliciter geſta. Fugatus aliquoties Carolus; in Kircholmẽſibus verò campis, virtute Caroli Chodkieuicij, Supremi pro Magno Ducatu Lithuaniæ copia-

copiarum Ducis, ita cæſus vt penè vniuerſo amiſſo exercitu, vix ipſe fugâ euaſerit. Sed nihil acerbius SIGISMVNDO erat, quàm ſtrictos in ſua viſcera vertere mucrones; gentem in quâ & ex quâ natus eſt, alieno errore à ſe abductã, bello perſequi: itaq; quãtum potuit, quantumq́; illi licuit, à ſupremà vi abſtinuit. Hinc aduerſæ partis creuit audacia, & Carolus malè partum Regnum, filio ſuo Guſtauo, olim pœnas violati familiæ ſuæ domeſtici fœderis daturo, iniquè poſſidendum reliquit. Cætera vt ſucceſſerint, vt in Liuoniâ, vt in Pruſſiâ, & quo euẽtu bellatum fuerit, res tanquam nuper geſta, hæret in recenti omniũ memoriâ: & Guſtauum cladis aliquoties acceptæ, biſq́; ictu ſclopeti propè lethalibus vulneribus cruentati ſui corporis, putodum viueret nõ fuiſſe oblitum. Inuitus hæc commemoro, gratiora illa, & magis pleno prædicãda ore, quæ SIGISMVNDVS in vindicãdo iure Regni, ac interceptis ab hoſte Moſcho Prouincijs repetendis, ſumma cum laude feliciter geſſit. Gens feritate barbara, religione ſuperſtitioſa, fide ambigua, nec magis telis quàm ſuo cælo, ſuo ſidere armata, quæſitum Maiorum noſtrorum ſanguine Reipublicæ patrimonium, fraude & proditione interceptum inuaſerat. Non annos, ſed ſecula acceptæ immanis iniuriæ numerabamus; penitùs iam ea macula inſederat in animis noſtris: nec immeritò exiſtimabamur bellicę laudis & decoris poſſeſſione, ceſſiſſe hoſtibus. Diui Stephani præclaros quidem & proſperos conatus, mors inopina interuerterat. SIGISMVNDVM ne ſtatim à ſuſcepto

 Regno

Regno bellum aliquod ordiretur, quorundam nimium pacis amantium consilia arcuerant: quanquam & ille eo semper esset animo, vt existimaret Regiũ esse, nec prouocare bella, nec timere. Extincto per summum scelus tanti Imperij vnico reliquo hærede Demetrio, summam rei ad se traxerat Hodunus, homo in Moschouia non magno loco natus. Fraus diu latere non potuit, extitit vltor ficti nominis Demetrius, ad cuius famam Hodunus scelere vecors, nefaria innoxii pueri cæde pollutus, excidit Imperio. Nec impostoris diuturnum Regnum esse potuit, quamuis vt id stabiliret, quorundam Polonorum auxilijs niteretur. Pepigerat dum in Polonia esset Marinæ Georgij Mniszek, Palatini Sendomirien: Filiæ nuptias, statimq; rerum in Moschouia potitus, publico Procerum, vt gentis mos est, consensu, expediuerat in Poloniã Legatos, qui & à Rege & à Patre sponsam dari peterent, eamq; in Moschouiam honorificè deducerent, Regem ipsum, & plerosq; Proceres, sponsæ cõsanguineos, ad nuptias inuitauerat. Rex per Legatos officio functus; reliqui eo profecti, magis ad nuptias, quàm ad bellum: neq; enim aliqua fraudis subesse poterat suspicio, publicâ fide, publico vniuersæ eius gentis adsensu interpositâ. Vt rem in pauca contraham, in ipsis nuptialibus sacris, Mosci authore Suiscio conspiratione factâ, tumultuq; excitato, illum ipsum Demetrium suo arbitratu strangulant. Dicant sanè ij iure à se factum, Tyrannum impostoremq; sublatum. Sed quid innoxii meruerant hospites, in quos immani

sæuitum

sæuitum est cæde? Legati Regij, iure gentium sacri, cur arctâ & infami circumdati custodiâ? Erat ea iusta belli causa, & vltor poscebatur, qui & atrocissimæ vindex esset iniuriæ, & iniquè ac nefariè à Moschis vsurpata iura repeteret. Sed ne quid temerè aut inconsultò fieret, missi qui iniuriam nomini Polono factam; qui Legatos violatos quererentur; qui deniq; res & homines interceptos clarè repeterent. Hi quoq; sine honore habiti, & serò admodũ dimissi: itaq; quod iustis rationibus obtineri non potuit, bello & armis repetere visum. Arx Smolenscen: nostri olim iuris, obsidione cincta, immissus in remotiores Moschouiæ Prouincias miles, cæsi hostiles exercitus, deditione in potestatem redactus Suiscius, Regia ipsa Moschouiæ Vrbs, milite Polono insessa. Tu VLADISLAE PRINCEPS, omnium eius gentis consensu Rex & Imperator lectus dictusque, in tuã fidẽ tota videbatur venisse Moschouia, Smolenscum deniq; captum: tam magni momenti, & tã præclaræ res biennio confectæ, & totus triumphatus Septẽtrio. Cur deinceps versa retrò fortuna fuerit, fidesq; parum fidæ gentis nutauerit, magis silere libet, quàm vulnera Reipublicæ parum gratâ manu attrectare. Manet tamen, manebitq; semper inclyta memoria clarissimarum SIGISMVNDI REGIS victoriarum, quibus & ius Regni asseruit & inolitam opinionem, quasi eius gentis potentia nobis formidabilis esse posset, penitùs ex animis omnium exemit. Quid ego alia bella & prælia commemorem? coercitam Nisouij militis sæpiùs licentiã: octies aut

 ampli-

amplius fusos fugatosq; excusſâ quam raptim egerant prædâ, Tartaros: Michaële Tranſyluaniæ Moldauiæq; Principem, multarum gentium victorem, qui Turcicæ etiam potentiæ imminere, & formidãdus eſſe videbatur, victum, & Moldauiâ exactum: Aaronem Valachiâ pulſum: Domui Mohilanæ, in Valachiâ & Moldauiâ armis ius aſſertum? Hactenus quidem vis Turcarum ita illibata ſteterat, vt poſteaquam illi arma & Imperium in Europam tranſtuliſſent, in omnibus ijs prælijs, quibus ipſi eorum Ottomanicâ ſtirpe orti Imperatores pręfuerũt, ſemper victores euaſerint. Sigiſmundus Imperator, idemq; Hungariæ & Bohemię Rex, coniunctis cum Ioanne Duce Burgundiæ viribus, primus arma Turcica, maiori quàm vllus vnquam exercitu, ad Nicopolim irritare auſus, tam triſti pugnauit euentu, vt & Burgundus in poteſtatem barbari hoſtis venerit, & Imperator vniuerſo amiſſo exercitu, vix piſcatoriâ exceptus ſcaphâ, ignoratus quis eſſet, ſolis latebris tutus, turpi fugâ euaſerit. VLADISLAVS IAGELLONIDES noſter, & Hungariæ Rex, ingentis animi iuuenis, proſpero quidem aliquoties ſucceſſu bella Turcica tractauit: ſed poſtremò Amurati Turcarum Imperatori ad Varnam congreſſus, etiamſi initio pugnæ barbarorum agmina cecidiſſet fugâſſetque, ipſeq; cum delecto Polonorum robore, in primâ acie verſaretur, ac ipſum Amuratem voce & manu poſceret, & iam acinacem in eum ſtringeret, concurſu prætoriani militis oppreſſus, iam penè victor, & in ipsâ victoriâ Regium effudit ſpiritũ. Solimanus

limanus in campis Mohacenſibus, Ludouico Rege Hungariæ cæſo, ſepties circiter fortunam belli cum potentiſſima Domo Auſtriacâ, quæ ſtatim à morte Ludouici, poſſeſſionem Regni Hungariæ adire contendit, experiri voluit: ſed nec Buda intercepta, nec Vienna obſidione cincta, nec deleti aliquoties Germanorum exercitus, elicere potuerunt Potentiſſimos Germaniæ & Hungariæ Reges, qui viuẽte Solimano vixerunt, vt in campum & aciem deſcenderent, vt pugnæ copiam facerent. Noſtra memoria Archidux Maximilianus, Rudolphi Imperatoris, Fratris ſui auſpicijs, & trium Exercituum, Germanici, Hungarici, & Tranſylualnici, virtute ac robore fretus, cum Mahumeto III. qui paulò ante Agrienſem Arcem, hactenus inexpugnabilem creditam, vi expugnauerat & ceperat, ad Chereſteſſum ſigna conferre auſus, iam viciſſe videbatur, niſi Tartarorum audaciâ circumuenti Chriſtiani milites, cùm ſe & à tergo & à fronte peti, cædiq; viderent, ſolutis ordinibus, loco moti, hoſti victoriam conceſſiſſent. Scilicet non erat in fatis, vt gloriam victi aut coërciti Turcarum Imperatoris quiſquam alius delibaret: integra & ſolida SIGISMVNDO REGI Poloniæ ſeruabatur. Tu quoq; VLADISLAE PRINCEPS arcano Dei decreto deſtinabaris, vt in partem huius gloriæ & fortunæ venires. Nunquam certè maiori vi vniuerſa barbaries cõſpirauerat in perniciem rei Chriſtianæ. Iuuenis admodum Princeps, & odio fidei Chriſtianæ, & immensâ gloriæ cupiditate incenſus præcipiti ambitione ferebatur, in eamque venerat opini-

opinionem, vt primo impetu ſe nomē Polonorum deleturum arbitraretur. Somniabat deinceps alia Regna, alia Imperia, & Poloniâ armis in ſuam redactâ poteſtatem, nullos Europæ angulos, nullos receſſus ſibi non peruios, nullam Vrbem, nullam Arcem, nullum munimentum ſuis viribus non ceſſurū rebatur. Eâ impotentis & ferocis animi audaciâ elatus, ad Europæi militis quem ex omnibus Prouincijs & præſidijs euocauerat, experta maiorum ſuorum bellis robora, Aſiaticos, Africanoſq; exercitus adſciuerat: quadringenta equitum peditumque millia numerabantur. Aderat Tartarorum Imperator, centum viginti millibus comitatus, & ad longè lateq; ſpargendam vaſtitatem, incendia & cædes miſcendas, inſtructus paratuſque. Tres integros annos ad parandum bellum aula Turcica impenderat: nulla alia tanto temporis ſpacio Purpuratos Oſmanicos magis cura torſerat, niſi vt quiſq; paratiſſimus compareret: tantâ armorum copiâ, is belli apparatus, tot maiora ad quatiendos muros, tot minora ad campeſtrem ſtragem edendam ænea tormenta, in exercitu erant, vt ſi quis ea recenſere vellet, fidem eorum qui hæc non viderunt exceſſurus putaretur. Tantæ moli impendentis ferociſſimi belli quid opponeret SIGISMVNDVS, aut quam opem implorare, quem in ſocietatem periculi adſciſceret? Æſtimantibus certè eius temporis Reipubl: Chriſtianæ ſtatum, ingens quidem ſupremi exitij diſcrimen apparebat: ſpes verò proſperioris ſucceſſus nulla affulgebat. Summus Pontifex opis non multum, Preces

& Vota

& Vota, ſub quorum patrocinio tuto conſtitit, ſalus noſtra libenter deferebat. Ferdinandus Imperator domeſtico implicatus bello, de ſummâ rei in certamen trahebatur: vniuerſa Domûs Auſtriacæ potentia nutare videbatur. Galliæ Rex, cuius inuicti Maiores militaris gloriæ decus potiſſimū bellis Aſiaticis nomini Gallico, & poſteritati ſuæ parauerant: nihil bella aut pericula Turcica ad ſe pertinere aiebat. Hiſpanum res Auſtriacæ Domus in Germaniâ minus ſecundæ diſtrahebant. Archidux Auſtriæ Albertus, pro Rege Hiſpaniæ in Belgio ſummâ cum poteſtate Gubernator, in ipſo vitæ exitu, quantum Reipubl: Chriſtianæ cuperet, quantopere communi periculo commoueretur, luculentâ animi teſtificatione declarabat, & ſe ea omnia quæ in ſua eſſent manu facturum oſtendebat. Reliquorum Principum Catholicorum fauor in aperto, ſubſidia in obſcuro, vel nulla, apparebant. Ex ijs qui de religione Chriſtianâ, aliter quàm Orthodoxa & vniuerſalis Eccleſia Romana docet, ſentiunt; ſolus Sereniſſ: Iacobus Magnus Britaniæ Rex, vidit periclitāte Poloniâ vniuerſam Rempubl: Chriſtianam in ſummū venire periculum; ſolus ad ferendam opem, ſtudiū operamq; ſuam detulit: ſolus peditum lectiſſimorū cohortes, in ſuo Regno conſcriptas, & ſuo ſtipendio auctoratas mari expediuit; & veniſſet ea manus ſatis oportunè, niſi in portibus Danicis fuiſſet retenta. Reliqui omnes eius ſectæ Principes, gauiſuri etiam interitu noſtro credebantur. Guſtauus certè Suecorum Rex, non aliter ac ſi crudeliſſimi Turcarū Tyrāni iuratus ſatelles, ac Mahumeticæ impietatis promotor

motor esset, tum vel maximè nos oppugnabat, nobisq; perniciem & seruitutem à ceruicibus Christianorum arcentibus & amolientibus: ille per eam occasionem Rigam, totius Liuoniæ Ciuitatem primariam, & portu nobilem, expugnabat; Liuoniam iuris nostri Prouinciam, cæde & incendijs vastabat. Nihil dico quo in statu tum res nostræ essent, accepta superiori anno in Valachia clades, alter è Ducibus captus, cæsus alter, veterani militis flos & robur vno prælio concidisse videbatur. Quis non attonitus stuperet, SIGISMVNDVM REGEM, sola Diuini auxilij fiducia fretum, neq; tantis quæ imminebant periculis, vel motum, vel territum, sed maiora quàm quisquam suspicari posset ausum, Heroici animi magnitudine, hostibus perniciem, Patriæ salutem, sibi immortale decus, peperisse. Summâ celeritate scripti paratiq; exercitus, non ij quidem à quibus victoria sperari posset, sed qui potentissimi hostis ferociã morarentur: & ille Bizantio profectus, adeò celeri cursu difficillima Thraciæ itinera superauit, vt lõgè citius, quàm sperari potuerat, traiecto Istro, in ipsa constiterit Valachiã; mox viribus cum Tartaro cõiũctis, pari celeritate ad fines Poloniæ properauerit. Sed iam Chodkieuicius, cui summa rei commissa fuit, iam Stanislaus Lubomirscius, Polonicarum copiarum ductor, ambo magni viri, ambo bellicis facinoribus illustres, fines quibus Valachia à Polonia diuiditur, transgressi, in hostico ad Chocimum, audaci sed felici consilio Castra posuerant. Tu quoque SERENISSIME REX, paulò post Paternorũ tuorũq; quibus te superni fauores circumdabant, auspiciorũ felicitatẽ Castris, eo à Patre missus, intuleras, omnium in te oculos conuerteras, animos fessis, & de euentu sollicitis addideras, hosti qui te venisse statim sensit, metum incusseras. Interea dum Pater maiori vi bellum molitur, totiusq; Regni robore excito, vniuersam in aciem ducit Poloniam: res Tuo ductu, Tuâ felicitate præclarè gesta; infestatæ diurnis nocturnisq; incursionibus Turcicæ stationes, sæpius hostis iusta acie fusus, sæpissimè ab oppugnatione Castrorum, cum ingenti clade reiectus, cùm semper deteriori conditione suos intra munitiones reciperet, postquam SIGISMVNDVM propè iam adesse intellexit, spem quam capiendæ expugnandæque, & in suam potestatem redigendæ Poloniæ conceperat, deposuit. Videbat supra sexaginta millia suorum militum, qui cæteris audentiores fortioresque putabantur, ferro cæsa; longè maiorem numerum belli & temporis incõmodis absumptum; iumẽta omnia corrupta; stratos hominum equorumq; cadaueribus campos: Deniq; venire SIGISMVNDVM, felicissimũ magnorum bellorum confectorem, se victum fassus, irritosq; suos conatus, quod nulli vnquam Turcarum Imperatori accidit, deplorans: conditiones quibus bellum finiretur, accepit; prior Castra mouit, vt nostris signa victricia & arma tenentibus, tergo abeuntis, & impedimenta deserentis hostis, gloriosè illudere licuerit. Sint, vt fortasse non desunt, qui partæ eo bello gloriæ detrahant; qui virtuti SIGISMVNDI REGIS obmussitent; prodeant, & aliquem vnum

vnum Christianum Principem, vel Imperatorem proferant; qui Turcicas vires tam audacter fregerit; qui ab aditu Regni ferocem Tyrannum tã feliciter arcuerit; qui ne vnico quidem terræ palmo, eum qui semper, vel integra Regna, vel munitissimas Arces, expugnare & intercipere solitus fuit, ditionum suarum potiri permiserit; qui hostem vincere assuetum, vinci posse tam prospero successu docuerit; qui deniq; tot barbarorum millibus deletis Turcarum, victoris titulũ magis verè vsurpare possit. Dixi paulò ante, hoc decus SIGISMVNDI REGIS, & nemini alteri commune esse & fore: dico iterum eandem deuicti Orientis laudis hæreditatẽ inclyto eius sanguini deberi, ad cuius nomen vniuersa horret barbaries, quibusdam, iisq; non obscuris, coniecturis sibi inde exitium imminere prospiciens. Sed quid agimus? obliti videmur præsentium, rimari futura? Reuocat nos ad se SIGISMVNDVS REX, tristi quidem & lugubri funeris sui pompâ, pares animorum affectus meritò à nobis exigens; cæterum morte felici, & bonis omnibus exoptando exitu mentes nostras exhilarans. Nam vt nullus vnquam hostis vidit SIGISMVNDVM, dum vixit, vel periculo pauentem, vel supplicem; ita & ipsa supremi fati necessitas, promptum paratumque eum reperit ad parendum Diuinæ voluntati. Iam penè corporis vires omnes conciderant, iam inualescente vi morbi hebetati sensus ægrè sua munia obibant; viuidæ tamen mentis, vigor idem erat; sermo nullus nisi cum Deo, aut de Deo; vultus securæ & innoxiæ mentis testis; tota corpo-

corporis honestissima cõpositio, nullo mortis metu eum terreri, nullis dolorum acerbitatibus vinci & frangi, testabatur. Sic cessit è vitâ, vt ij qui ab exilio redeunt in Patriam, lætus hilarisque. Semper quidem, dum vixit, toto animi conatu contendit, vt in hũc supremi exitùs casum paratus esset: cæterùm cùm eum imminere sentiret, nullos alios vel libentiùs vidit, vel faciliùs admisit, quàm eos quibus cum vitæ & salutis suæ rationes cõferre solebat: has quoque moriens ita acuratè expendit, vt si Christianæ modestiæ immemor foret, liberè dicere potuisset, quod olim Titus Vespasiani filius, se nullius sceleris conscium cedere è vitâ. Nos certè id de eo credere conuenit: namque Christiano ritu, vt S. Ambrosius scribit, decedentibus, optima voluntas & desideriũ sufficit. Habet gratiam Valentinianus, vel nos dicamus SIGISMVNDVS, quã desiderauit; habet quod poposcit; certè quia poposcit accepit. Nullius itaque errati, quod non lachrymis eluisset, cuius veniã à conditore suo nõ poposcisset, SIGISMVNDVS sibi conscius, cessit vitã. Prosequamur illum iisdem votis, quibus S. Ambrosius Valentinianum suum, si quid Orationes nostræ valebunt SIGISMVNDE, nulla dies silentio te præteribit: nulla inhonoratum te nostra transibit Oratio: nulla nox non donatum te aliquâ precum nostrarum contextione transcurret: omnibus te oblationibus frequentabimus; si non meminerimus tui, obliuioni detur dextera nostra; adhæreat lingua faucibus nostris, si non præposuerimus te in principio lætitiæ nostræ. Hos arbitror esse

Ambr: in obitu Valentiniani.

De obitu Valentin:

esse omnium vestrum sensus, idem cunctos tacitis vouere suspirijs. De me quid dicam? Angit me priuatus meus dolor: esse desijt is, quo viuente viuere cæpi; quo authore, id quidquid in me dignitatis est, consecutus sum. Patere sanctissime REX, vt exemplo magni Ambrosij, cum Theodosio suo iam vitâ functo sermonem miscentis, ijsdem verbis nobis vti liceat. Dileximus virum misericordem, humilem imperio, corde puro & pectore mansueto præditum. Dileximus virum, non sibi sed Reipublicæ natum Catholicæ, Religionis decus, Patriæ nostræ ornamentum, nullo vnquam periculo magnoperè commotum in ipso vitæ exitu mortis victorem. Dileximus virum, qui cùm iam corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quàm de suis periculis angeretur. Aderant præsentes Liberi, digna tanto Rege Proles, genus alto à sanguine Cæsarum, Regum: & quidquid in toto Christiano orbe summæ dignitatis splẽdore fulget, quidquid illustres Familias sublimioribus titulis decorat ac nobilitat; horum inquam sanguine Vos Serenissimi PRINCIPES progeniti, adfuistis morienti Patri: omnium Vestrûm lachrymis compositus est; nihil quod illi deesset, nouissimâ in luce desiderauêre oculi eius. Semper quidem ille pia & paterna dabat documenta Vobis rectè viuendi: sed tam præclaro vitæ exitu, quid aliud egit, quidue in votis habuit, nisi vt sui, virtutumq; suarum memoriam pectoribus vestris insereret; vt quibus vitæ mortalis author esset, eosdem pareret Christo, immortalitati consecraret, cœlo insereret.

Ambr: de obitu Theod.

Non est

Non est quod externa exempla multum requiratis: Sacræ illæ Maiestates, Parentes vestri, Vobis ad capessendam Regiarum virtutum viam, ad parandum summum decus ductores sunt, eruntq; optimi: non aberrabitis, si eorum vestigijs insistere volueritis, & porrò velle debetis. Id à vobis SIGISMVNDVS, ANNA, & CONSTANTIA, REX, & REGINÆ, iam cœlo receptæ mentes, & nunquam perituri Regni Reges & Hæredes, Patris deposcunt iure, quorum ipsa nomina quid aliud designant, nisi pietatem, religionem, sincerum Dei cultũ, Ecclesiæ Catholicæ & Sacerdotalis ordinis patrocinium, Sedis Apostolicæ venerationem, Ciuium amorem, pauperum solatium, castitatem, pudicitiam, temperantiam, animi magnitudinem, iustitiam, & cunctarum virtutum complementum. Quod illi fuerunt, vt vos quoq; sitis, omni conatu eniti & contendere debetis, vt idem decus, eadem post sera fata vos maneat gloria. Tu inprimis Serenissime REX VLADISLAE, quem & ætatis, & dignitatis prærogatiua, cæteris altiùs extulit, quem Orbis Christianus Regio decoratum honore suspicit ac veneratur: non solùm promptè ibis per vestigia Patris tui, verùmetiam eadem tecum ortos familiâ, & faustis nutritos sub penetralibus; hos inquam, quos & naturæ lex, & magni Patris voluntas, & Reipubl: quæ se suosq; tibi vni addicit, tuam reuereri & comiter colere Maiestatem suadet, exẽplo tuo duces ad culmen veri decoris. Tibi vni hoc onus ferendum est; in te Domus hæc Regia inclinata recumbit; id & Sacrati Parentum manes, & Res-

publica

publica à te flagitat; id deniq; fraternus poſcit amor. Felix ſanè & beata te Rege Polonia Lithuaniaque. Ad prima tua auſpicia, & vt primũ Vota omnium in Te vnum flecti cæperunt, quanta rerum conuerſio? quanta ſpes affulſit melioris æui? Pax publica priuataq; longo ab interuallo reuiruit; auræ peſtiferæ lues extincta; priſca agrorum fertilitas rediJt. Nihil dico, quanto ſtudio ad Te REGEM dicẽdum omnes Ordines incubuerint, vt nemo qui non te poſceret, in te ſpem Patriæ non reponeret, fuerit: vt magni viri priuata odia, priuatas lites, mox in perniciem multorum erupturas, tuo iudicio permittere non renuerint; & tu prudens felixq; arbiter, vno eodemq; temporis momento, multum inter ſe diſcordes & diſſentientes, ita conciliabas vt deinceps ſtabili & ſincerâ amicitiâ redintegratâ, priuata odia ad amorẽ Reipublicæ transferrent. Præclara hæc ſunt initia orientis Imperij tui, cuius nullum fortius eſt ſtabilimentum Ciuium amore: in cuius poſſeſſionem ita illaberis, vt nemo ſit qui te in dies non magis diligat, & non plus ſe tibi, ob præſtantia tua in Rempubl: merita debere libens volenſq; profiteatur. Sed Tuæ virtutes aliud tempus, aliam poſcunt occaſionem, magis diſertâ oratione & facundiori prædicandæ ore. Nunc ego dicendi finem facturus, non aberraturum me puto, ſi verbis Diui Ambroſij SIGISMVNDVM REGEM Magno Theodoſio, vel parem, vel certè ſi rectâ lance virtutes vtriuſq; examinentur ſuperiorẽ, terræ iam mandandum, non ſolùm pio proſequar ſermone, verùm etiam religioſis deſiderijs & votis, ſupre-

ſupremum ſanctæ illius animæ officium impendam. Conteritur cor meum, quia ereptus eſt vir, qualem vix poſſumus inuenire: ſed tamen tu ſolus Domine inuocandus es; tu rogandus, vt eum in filijs repræſentes; tu Domine, cuſtodiens etiam paruulos, in hac humilitate ſaluos facito ſperantes in te. Da requiem perfectam ſeruo tuo SIGISMVNDO, requiem illam, quam præparaſti Sanctis tuis: illò conuertatur anima eius vnde deſcendit, vbi mortis aculeum ſentire non poſſit; vbi cognoſcat mortem hanc, non naturæ finem eſſe ſed culpæ: quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt, vt iam peccato locus eſſe non poſſit. Proſequamur eum vſque ad regionem viuorum, nec deſeramus, donec fletu & precibus inducamus eum, quo ſua illum vocant merita, in montem Domini ſanctum, vbi perennis vita, vbi corruptellæ nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor, nulla conſortia mortuorum, vera religio viuentiũ, vbi mortale hoc induat immortalitatem, corruptibile hoc incorruptibilitatem. *Ambr: de obitu Theodoſii.*

D I X I.